



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

VIII. Paternus Dei affectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

## OPTIMÆ CONSENTIENS. 65

VII.  
*A Deo  
 amatur.*

Eandem ob causam Philosopho  
 cuiusdam prisco, Platoni ni fallor,  
 istam hominis dignitatem creato-  
 risque dignationem æstimanti, Deus οὐ  
 φίλορις οὐ φιλόθηρ, ἀλλὰ φιλόανθρωπος,  
 non avium, ferarumque, sed hominum amator  
 est. Non quia non amet animalia cætera:  
 sed quia inter omnia divinum istud ani-  
 mal præcipuè habet in oculis & in delitiis.  
 Quam etiam Dei humanitatem eodem  
 ipso φιλανθρωπίας nomine commendat  
 Paullus ad Titum cap. 3. *Apparuit benigni-  
 tas & humanitas Salvatoris nostri Dei.* Ubi,  
 quod Latine est humanitas, Græcè est  
 φιλανθρωπία. Nec mirum, tam humani  
 erga hominem quemlibet affectus Deum  
 esse, cum talem talis condiderit, non in-  
 decorum partum optimus parens: qui  
 quem tam amanter produxit, non conser-  
 vare non poterit convenienter naturæ  
 suæ, si conservari se sinet.

VIII.  
*Paternus  
 Dei affe-  
 ctus.*

Deum ipsum audiamus de se &  
 de homine loquentem, tanto af-  
 fectu, tam suavibus verbis, ut ex-  
 primum nihil possit significantius. Quod

homen:

nomen dulcius, quàm patris? An maternum? Ille fortiùs diligit, mater teneriùs. Patrem se & matrem fore Deus pollicetur, ut & fortiter amet, & tenerè: idque de populo promittit inquieto, infideli, rebellis; sæpissimè monito, sæpissimè obstinato, & adhuc, cùm Deus ipsi loqueretur, idololatriam sectante. *Si filius mihi honorabilis Ephraim*, inquit Jeremiæ 31. *si puer delicatus*: seu, ut alia versio sonat, *An non filius pretiosus Ephraim, an non puer solatio-rum?* Ecquisnam autem ille est Ephraim, ut Deus ipso filio gaudere, & gloriari, imò quodammodò sese jactare videatur? Ephraimitica tribus est, Israëlitici regni caput, & nomen, populus contumax, proles optimo parenti Deo immorigera, meritâque abdicari. Ne tamen dubites, quin qualiscumque tandem filius Deo sit honorabilis, & pretiosus, & delicatus, & solatio-rum, subjicit: *Idcirco ex quo locutus sum, commota sunt viscera mea super eum.* Non tibi videtur Jacob de Josepho suo loqui, aut de filio dexteræ Benjaminino, quem ne nominari quidem audiat absque sensu teneri-

teneritudinis? Non eæ sunt voces parentis amantissimi, commoda juxta & incommoda liberorum ita excipientis, ut propria? Quid exprimendæ paternæ Dei in homines dilectioni significantius dici poterat, quàm illa viscerum commotio, & agitatio cordis amore vehementi palpitantis?

IX. *Materna ejusdem dilectio.* Simili locutione usus Isaia 49. in exemplo matris, quæ liberos, præfertim immaturæ ætatis, & ex utero nuper profusos, dulciùs amare solet, quàm pater. *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego non obliviscar tui.* Vides materno affectui suum à Deo non conferri solum, sed etiam præferri, & meritò. Nam mater filium in utero gestat menses novem, Deus hominem toto vitæ tempore: *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus,* velut intra materna viscera: *Audite, inquit Isaia cap. 46. domus Jacob, & omne residuum domûs Israël, qui portabimini à meo utero.* Filium in lucem editum mater aliquando dat lactandum nutritici;